



Q. F. F. S.

1672 11

15

DISPUTATIO SOLENNIS,

De

TESTE UNO,

QUAM

DIVINI NUMINIS GRATIA,

EX DECRETO

MAGNIFICI ET PRÆNOBILISSIMI,
IUCTORUM GIESSENSIUM ORDINIS,

Pro

LAUREA DOCTORALI

Publicæ & placidæ DNN. Procerum Academiae
Disquisitioni

Submittes

JOHANNES BERNHARDUS Becker /
Dethm, Westph.

Ad d. Novembr. Anno M.DC.LXXII.

Horis locoq; solitis.



G I E S S Æ,
Ex Officina Friederici Kargerii.

55

DISPUTATIO SOLEMNIS

TESTAMENTO

DE

EX DECRETIS

MAGNIFICI ET REVERENDISSIMI

LABRITA DOCTORALII

JOHANNES FERDINANDUS

DE

ANNO MDCCLXXII



PRÆFATIO

Non ferè, sed verè arduum est, quod molior, opus. Disputationem nempe Inauguralem pro summis in jure consequendis honoribus adornare laboro, egregium profecto & plenis implicatum curis laboribusque negotium; Negotium, quod pro hic & nunc complacere magis, quam à me appeti debuisset. Nec appetiissem etiam, non in scius, tales conatus quid prærequirant, mihi verò ad eosdem exorandos adhuc desit, nisi parendi necessitas iis, quibus Deus, natura & fortuna arbitrium in me dederunt, præcisè id efflagitasset. Iis scilicet placuit, ut curriculi tandem Academici finem facerem, & quidem cum tali epiphonemate, ex cujus thono, quid rerum ejus tempore gesserim, viderent. Iis etiam morem gerere cum ipsa juberet æquitas, nutantes tandem humeros arduo huic & humeris impari negotio suppeditare promisi. Non v. oblitus, illud non sola mea absolvi voluntate, sed unicè potius in benevolentissimo Magnificæ & Amplissimæ Juridicæ residere Facultatis indultu, eandem hoc nomine, prout omnino debebã, compellandi, Spectabilem ejus adii Decanum, Virum Magnificum & Præstrenuum *Dn. Hartmannum Jacobi*, Dicasterii hujus & Academiæ Cancellarium eminentissimum, Fautorem & Patronum nostrum piocultu devenerandum, ipsiq; desiderium me

A um cum

um cum debita animi submissione exposui, id præfatus, quæ Almæ huic scientiarum genitrici, prælaudatæ imprimis Facultati ultimum quasi deberem educationis punctum, atque in eo jam esse, quo emancipari quasi & loco prætextæ pura & virili indui toga præoptarem, hac potissimum fini, ut eo liberius mihi in publicum procedere, & foris interesse liceret, publicumque exstaret testimonium, quo dignus habitus, cui olim ex D. Justiniani promissione §. *fin. Proem. I.* Respublica in parte aliqua gubernanda crederetur, quare tantò minus de felici me dubitare exitu, quantò probabilior esset desiderii finis, & quod proprium, quem hæctenus efformârit, quasi fœtum suis non esset destitutura subsidiis. Et ecce, res cecidit ex voto. Tanta enim me summus ille vir excepit humanitate, ut pro multis ambiguitatibus & difficultatibus, quas timere poteram, sinceram potius de tali conatu gratulationem, voti quæ sui indubitata promissionem reportârim: præmonitus tamen Statutorum Facultatis, & quid illa à talia petente requirant: Disputationem nimis præ cæteris solennem. Quibus jam animatus cæterorum etiam Excellentissimorum Dnorum Antecessorum benevolentiam ea, qua par est, tentavi reverentiâ. Et cum nec hos invenirem declinantes, prius verò itidem pro honoribus decertare juberer, post debitam summi hujus beneficii venerationem, *infirmus ego & quem ipsa necessitas pugnacem fecit*, uti Nazianzenus loquitur, de certaminis Materia cogitandum putavi. Ita verò de ea cogitavi, non ut arduam nimis, & quæ magis subtilitatis haberet, quam utilitatis, quam potius utilitate sua & necessitate cum subtilitate pignantem invenirem. Et inveni quoque, nobilissimam scilicet illam & præ cæteris simul necessariam de *Probationibus* materiam: Materiam, quæ

quæ quidem non nova aut rara , ob summam tamen suam necessitatem & infinitum usum , quæ dies noctesque volvatur , imprimis digna , utpote , qua iudice Donello 25. *Comm. 1. nec actor, nec reus in ulla lite carere potest, & in cuius cardine*, teste Mascardo in dedicatione operis sui de Probatione, *tota obtinenda causa spes vertitur* , imò sine qua auctoritate *l. 77. de Contract. Empt. res pro non gestis neque existentibus habentur.* Cum v. nimis variam hanc deprehenderem materiam, variasq; probationum species, ita ut Disputatiunculæ pagellis illas concludere vix possibile censerem, in hac ipsa selecta materia adhuc specialiozem selectum habere operæ pretium existimavi, atque adeo in nobiliori ejus *de Testibus* substiti specie. Eam enim esse nobiliorem, ipse asserit Justinianus *Nov. 73 c. 3. dicendo: Nos quidem existimamus, ea quæ viva voce dicuntur, & cum iurejurando, hæc digniora fide, quam scripturam ipsam secundum se subsistere.* At verò cum & hanc non pagellas, sed paginas, imò volumen facturam ominarer, specialissimâ ejus sumptâ particulâ de *TESTE VNO* finem electioni dedi, arcana hac commodi spe, specialioris hujus partis cognitione nisi distinctam, minimum tamen confusam totius notitiam me lucraturum. Quod ut succedat, cæteraq; omnia prosperè cadant, faxit Deus! Melioris autem distinctionis gratia in quatuor Disputationem dispelcam membra , primo acturus *de Testis unius probatione*, altero *de Probationis forma*, tertio *de Effectu*, quarto & ultimo *de Affinibus & Contrariis.* Sit

itaque

A 2

Mem.

4
MEMBRUM I.

De

Probatione Testis Unius.

§. I. **P**unctum effectiois non necessariò etiam punctum tractationis sive cognitionis esse debere, vel sola nos docet Philosophorum de Fine doctrina. Qui licet sit ultimum in productione sive executione, tamen semper prius est in intentione. Intentio autem præsupponit cognitionem, tanquam causam sine qua non quid intenditur vel appetitur, cum ignoti nulla cupido, ceu breviter, nervosè tamen, pro more suo, post alios docet acutissimus noster *Rudraufius in Cursu suo Metaph. Disp. XI. 2. 5. & Axiom. 7.* Quæ hypothesis, si cæteris omnibus initio tractari solitis, Etymologia, Homonymia, Synonymia, Causa Efficiente &c. posthabitis prius de fine vel Effectu testimonii individualis sumus solliciti, ab ataxias vitio nos facilè excusabit, præsertim quod ea omnia tanquam materiæ de Testibus in genere communia passim à DD. titulis & locis convenientibus, *Wesenb. v. g. & Meyero in Coll. Arg. tit. d. Testib.* inveniamus jam tum pertractata, nobis verò præjudicium inde, quasi in tanta nobilissimarum juxta & utilissimarum materialium copia inutilium & otiosorum sumus lectatores, facilè parari posse videamus, *præjudicialia autem vel exinde ita dici, si Calvini Lexico sub voce Præjudicium credere licet, quod aliorum judicium & tractationem præcurrant.* Hoc enim non sine causa nobis affingi posse, facilè patefcet, si ipsa divina humanaque imò moratorum gentium inspiciamus jura & mores, quæ omnia amicè huc conspirare videmus, Unius testimonio neutiquam esse standum. Jus nostrum civile expressa hanc in rem cõstitutione *D. Constantini*

stantini in l. 9. §. 1. C. de Test. edicit; Vnum testem ne quidem esse audiendum, tantum abest, ut eodem aliquid probetur. Cui jus divinum omninò adstipulatur tum in V. tum in N. T. Sic Deut. 17. v. 6. & 19. v. 15, Matth. 18. v. 16. & 2. Cor. 13. v. 1. clavis verbis exprimitur, in duorum triumve testium ore, non unius consistere veritatem. Quod in terminis approbat jus canonicum c. 23. x. de Test. Nec moratiores recedunt gentes. Sicuti de Romanis apud Ciceronem in Orat. pro M. Fontejo proditum invenimus, quod M. Æmili Scauri quantumvis jurati, & consilio, gravitate, constantia, cæteris virtutibus, honoris, ingenii, rerum gestarum ornamentis abundantis testimonio neq; in C. Fimbriam, neq; in L. Memmium creditum sit, quod noluerint ii, qui judicabant, viam hanc patere inimicitis, quem quisq; odisset, ut eum testimonio posset tollere. Et ut Q. Mutius Scævola Civitatis Rom. suo tempore Princeps exemplo suo regulam faceret, tum demum sibi credi voluit, si & alii idem asseverassent, teste Valerio M. 4. c. 1. n. 11. Quod Parlamentum Parisiense laudabiliter secutum, ad solius sui Regis Henri-ci II. assertionem quendam noluisse condemnare, legimus apud Bodinum 6. de Repub. ult. Neq; delunt rationes (1.) Quod per unum probare testem expressè vetent leges. Quod a. fit lege prohibente, idiplo jure nullum l. 5. C. d. LL. (2) Quod injuria sic fiat reo, qui actore non probante, & intentionem suam non implente absolvendus l. 9. C. d. O. & A. (3) Quod per hanc opinionem, secundum quam semiplena admittitur probatio, aperiatur fenestra & litibus multis, ut uno teste fretus ad iudicium statim profiliat, & sordibus aut corruptelis, & gratiæ iudicium, qui ob levem probationem induci poterunt ad favendum actori, delato jurejurando. Et si quæ sunt plura.

§. 2. Quibus rerum momentis pleriq; DD. moti intrepidè testem unum, testem nullum renunciant. Sed diversi diversimodè: *Duarenus 2. Disp. 33. Donellus ad l. jurisjurandi 9. C. d. Test. Anth. Faber 19. Err. Pragm. 1. Vmmius in Proc. Iud. Disp. 16. n. 40. Meyer in Colleg. Arg. d. Test. n. 14. Brunnem. ad d. l. 9. C. d. Test. Anthonius Matthæi ad L. 48. ff. tit. 15. c. 3. n. 1. &c.* istiusmodi testimonio de Jure Civili ordinariè effectum tribuunt nullum, quocumq; etiam ille veniat nomine, sive plenæ sive semiplenæ probationis, imò ne quidem esse admittendum, & non nisi grandem gravemq; Pragmaticorum errorem semiplenæ istiusmodi probationi causam dedisse, inquit Faber *l. c. Err. 2. n. 3.* Quibus etiam non obscure favere videtur *Wesenb. in Parat. d. Prob. n. 2. Lanfrancus c. 9. n. 67. de Test. & Covarruvias 2. Resol. 13. n. 1. pr. & versu, ceterum:* putant, si quis effectus, non tamen nisi plenam testi uni posse tribui probationem. Wissenbach verò contra Donellum, non facile quidem esse admittendum, tubinde tamen, præsertim in causis civilibus, posse admitti, *illud namque per constitutionem illam l. 9. non fuisse mutatum, sed particulam illam facile repetendum esse, hoc modo, ut unius omninò testis responsio non facile audiatur. ad l. 9. C. d. Test. & Disp. ad ff. 43. §. 32.* Effectum tamen non nisi præsumtionis ipsi tribuere videtur, cum semiplenam probationem vocet commentitiam *d. l. §. 3.* Pacius in *Analyti Codicis tit. d. Testibus n. 6.* hos non omninò relicturus, nec tamen omninò iis adstipulaturus, putat in Causa fiscali sive criminali non admittendum quidem esse testem unum, benè tamen in causa civili, atq; in gratiam hujus suæ sententiæ conatur pro vocula *facile* in *l. c.* substituere *fiscali*, fretus auctoritate Codicis Theodosiani *l. 2. tit. 39. lib. 11.* ita legentis. Sed an satis commodè, valde dubito.

Præter-

Præterquam enim, quod istiusmodi LL. correctiones non sine gravi causa sint admittendæ, interpretatio hæc, rectè sic judicante Ummio *Disp. 14. n. 87.* nodum non solvit, conjecturata hac specialitate per subsequentem Constantinianæ Constitutionis generalitatem planè exclusa. Prælaudatus modo Ummius extremis hisce sententiis commodius temperamentum inventurus existimat, testem unicum & solitariè productum nihil quidem probare, imò ne quidem esse admittendum ex *l. c.* Sed productum cum alio, qui tamen producentis intentionem non impleverit, omninò aliquid, semiplenè scilicet probare. Atq; hinc semiplenam probationem tanquam veram probationis speciem ab allatis, §. 1. & cæteris Dissidentium impugnationibus conatur liberare *d. l. & Disp. 18. n. 1.* Quod itidem tentavit Schröter Antecessor Jenensis in suis *Resolutionibus difficiliorum LL. Codicis ad l. 9. d. Test.* Quam feliciter, pro proprio cujuslibet relinquo iudicio. Illud mihi non vult probari, quasi testis unicus productus cum alio plus probet, quam solitarius, cum hac ratione in fraudem legis Pragmaticorum solertia facilè huic defectui remedium invenire posset, semper assumpto adhuc uno, rerum quamvis planè ignaro, sicuti id tamen etiam audio alicubi practicari, quamvis minus tutò, cum tali fraude manifestæ se exponat suspicioni & diffidentiam causæ prodat.

§. 3. *Glossa in l. Admonendi 31. ff. de Iurej. lit. N. n. 4. Bartholus in eandem n. 36. Iason n. 92. Mascardus de Probat. vol. I. quest. II. n. 2. 3. & 9. & DD. communiter quasi agmine facto hisce se opposcentes ordinariè semiplenam testimonio istiusmodi individuali tribuunt probationem, subinde etiam & certis casibus plenam, sive testis solus sit productus, sive cum alio, & textibus juris hanc*

8

Hanc tuam juvare satagunt sententiam, nominatenus
l. Theopompus 14. ff. d. Dot. Præleg. l. 5. §. 6. ff. de Re Milit. ubi
etiam uni testi in propria causa credendum perhibetur,
quanto E. magis in aliena *l. 3. C. d. Reb. Cred. l. 20. & 31. C.*
d. Donat. & c. Sed an satis probabiliter, non sine causa post
alios dubitant *Beust. ad d. l. Admonendi. & Bocerus Cl. 6.*
D. 23. §. 72. & Excell. Dn. Möllenb. Præceptor & Patronus
noster filiali cultu devenerandus, in aureis suis divis. Jur.
Cent. 2. §. 34. eò quod vox probationis in jure nostro propriè
accipiatur de plena. Allatas LL. examinat *Bronchorst. 1.*
Cent. Miscell. 92. & breviter Meyer in Colleg. Argent.
d. Test. §. 14. in fine. Melius id quidem perficeret ratio
Accursii ad l. 3. C. de Reb. Cred. huc rediens: Si duo testes
plenè probant, probat unus semiplenè. Sed lex deest,
ab q; lege autem loqui ipse erubescit *Iustinianus Nov. 18.*
c. 5. pr. Quicquid interim horum sit, praxis hodierna huic
liti finem fecit, communi illa DD. sententiâ, semiple-
nam probationem non solum veram esse probationis
speciem, sed & unum eandem conficere testem, ab omni-
bus ferè supremis curiis & frequentissimis Pragmaticorum
suffragiis receptâ, fatente id ipso *Fabro 19. Err. Pragm. i. n. i.*
ita ut frustra planè simus, si contendere velimus, quasi unus
& singularis testis produci & ad deponendum admitti ne-
queat, uti Ummius loquitur Diss. 18. n. 2. aliàs à communi
sententia dicto modo recedens: Imprimis cum expressa
in super in *Constit. Caroline art. 23. & 30.* hujus accesserit
sententiæ confirmatio, his verbis: *Als so einer in der*
Hauptsache die Missethat gründlich mit einem einzi-
gen guten tugendlichen Zeugen / als hernach von gu-
ten Zeugen und Weissungen gesagt ist / beweisset / das
heisset und ist eine halbe Beweissung / und solche halbe
Beweissung ic. Hinc etiam plerosq; hodiè DD. pro hac
sententia

sententia videmus pugnare. *Bachov. ad Treutl. vol. 2. Disp. 4. §. 3. lit. B. Habnius ad Wesenb. n. 2. d. Test. Struv. Ex. 17. §. 42. & Ex. 28. §. 36. Eirer. in Proc. c. 2. obs. 1. n. 23. & seqq. Carpzov. Proc. tit. 13. art. 3. n. 30. & Hiltrop. Proc. p. 3. c. 8. n. 5. p. 477. Friderich. Proc. P. I. c. 47. n. 8.* Et sanè, si velimus dicere, quod res est, tam probat, qui per unum testem, & sic semiplenè, quam qui per plures, & sic plenè probat, effectu licet dispari, hoc plenam judici faciente fidem, & tantam, quæ sufficiat ad terminandam litem, illo verò semiplenam, & quæ non nisi aliis sufflaminata adminiculis causam definiat.

§. 4. Ex quibus per se fluit sequens semiplenæ probationis definitio. Quod nempe sit, *quæ tantam judici fidem non facit, ut ad definitivam sententiam procedere possit, sed demum accedentibus aliis adminiculis, juramento v. g. vel alia aliqua semiplenæ probationis specie.* Quod judici fides fieri debeat, cum plena probatione habet commune: Adversario enim si fides fieri deberet, ipsi nihil nedum semiplenè probaretur, *licet quis ipsum solem pro ostendenda veritate in manibus gereret, uti ex Ollendorpio loquitur Mascardus vol. 1. quest. 2. n. 24. d. Prob.* Quod autem non tantam faciat fidem, quæ sufficiat ad terminandam litem, in eo consistit differentia ejus specifica, qua distinguitur à plena probatione, utpote quæ per se ad id sufficit. Et talem semiplenæ probationis effectum præstat unus testis, ordinariè & regulariter in omnibus causis & negotiis, tam civilibus, quam criminalibus.

§. 5. Limitatur tamen (1) Nisi plures verisimiliter possint haberi testes. Tunc enim unus testis semiplenam probationem non efficit. *Barth. ad l. Admonend. 31. de iurej. n. 37. Iason ibidem n. 92. & DD. communiter.* Cujus rei ratio facilè patet, quod producens unum, si tamen

B

habeat

habeat plures, suspicionem incurrat vel malitiæ vel negligentia, & sic sibi imputare debeat, quod non plures produxerit, & sic intentionem suam plenè probando definitivæ sententiæ calculum legitimo modo non obtinuerit. Quod damnum cum suâ culpâ sentiat, sentire non videtur. *l. 203. d. R. I.* Deinde, quod hoc remedium expediendi lites sit extraordinarium ex æquitate introductum. Auxilium autem extraordinarium non opitulatur, qui facto vel negligentia sua ordinarium prætermisit *l. 16. pr. ff. d. Minor.* Hinc fama, consuetudo, valor rei per unum testem non semiplenè probantur, quia de his & similibus verisimiliter plures scire & deponere possunt. Hinc etiam si quis (quod in praxi observandum jubet *Beust. ad d. l. Admonendi n. 1140.*) narret in libello vel actione instituta rem gestam coram multis & variis personis, & tunc postea saltim producat unum testem, tunc scilicet tam producentem, quam productum, reddi suspectum, tantum abesse, ut aliquid probet.

§. 6. Limitatur (2) in Causis, ubi plures, quam duo testes requiruntur, per inversam argumentationem: Ubi duo testes plenè probant, ibi unus semiplenè, sic contrario sensu, ubi duo testes non plenè probant, ibi nec unus semiplenè. Sicut rectè argumentatur ex *Cacciallup. Mascardus d. Probat. vol. 2. concl. 956. n. 17.* & *Rosenth. d. Feudis. cap. 12. concl. 19. n. 27.* Quamplurimi v. sunt casus, duo ubi testes non sufficiunt. Sic in ultimis voluntatibus plerumq; præter testamentum, quod septem requirit, quinque adhibentur testes, si scilicet considerentur in terminis juris civilis & naturalis simul, secus si redeant ad nudos terminos juris naturalis. Tunc enim duos sufficere testes, privilegiatum militis testatur testamentum §. I. *l. d. Test. Milit. junct. l. 12. ff. d. Test.* aliæque privilegiatæ volun-

voluntates plures, rectè sic notante *Bartholo in d.l. Admonendi n. 39*. Item ad probandam solutionem debiti instrumentalis, nullo solutionis instrumento confecto quinque requiruntur testes *l. 18. C. d. Test.* Quam tamen Justiniani constitutionem hodiernos mores non recepisse dicit *Wissenb. ad d.l.* Sed solutionem talis debiti non solum apochâ, sed & duobus testibus integræ frontis hodie probari posse autumat. Atq; ita etiam in suprema Frisiorum curia quondam fuisse iudicatum refert, *Sande l. Decis. tit. 10. def. 1.* Et feloniam commissa non nisi quinque probatur summæ & integræ fidei testibus. *2 Feud. 57.* An verò hoc solum in delictis contra ipsum Dominum, an etiam contra alium obtineat? Et an mulieres etiam admitti possint, similesque huc spectantes quæstiones breviter decisas, vide apud *Gothofr. Antkoni. Cancellarium hic quondam & Juris Prof. Prim. Profocerum nostrum post fata colendum Disp. 15. feud. §. 5. tit. D. & E.* Prolixius verò apud *Schrad. d. Feud. p. 2. par. 9. sect. 13. n. 26. & Rosenth. d. Feud. c. 12. concl. 19. n. 19. & seqq. Vultej. de Feud. lib. 2. c. 3. n. 15.* Ad confectioem autem inventarii, si absint, quos res tangit *Nov. 1. cap. 2. §. 1. v. Si verò.* (2) interruptionem præscriptionis *l. 2. C. d. Ann. Except.* (3) Scti Vellejani renunciationem *l. 23. pr. C. ad Sctum Vellej.* tres requiruntur testes, sicut & ad ventrem inspiciendum tres probatæ artis & fidei obstetrices *l. 1. pr. d. Insp. vent.* Et si qui sunt similes casus, quos una cum his nobis enumerant *Durandus in Spec. tit. de Teste. §. Restat. 11. & n. 1. ad 8. Farinacius d. Test. quæst. 63. cap. 5. n. 241. & seqq. Vmmius Disp. 16. n. 40. Vngepaur. ad tit. x. d. Test. n. 14. 15. & c.* Et tantum de ordinario testimonii individualis sine vel effectu, probatione sc. semiplena.

§. 7. Extraordinarius effectus est, quod aliquando

B 2

& mul-

& multis in casibus probationem omnibus numeris absolvat, & iudici plenam fidem faciat. Ut (1) Si plures haberi non possunt. Sic unius interpretis creditur interpretationi, si plures haberi nequeunt, uti inferunt ex l. 1. §. fin. ff. d. V. O. Bartholus ib. n. 4. Iason. ibid. n. 7. & DD. communiter. Et unius Mechanici sive architecti, si unicum tantum habeat civitas, statur definitioni. Nov. 7. c. 3. §. 2. versu, *Ut neque ulla*. Item tali casu uni creditur Medico vel chirurgo, an vulnus fuerit lethale nec ne, uni obstetrici, an puella fuerit prægna, uni pastori pecorum de mutilatione vel conculcatione ab alio pecore facta, deponentibus. *Beust. l. c. n. 1154. Bertich. concl. 36. n. 64. aliq. ab his citati.*

2 §. 8. De qua tamen assertionem, præsertim in criminalibus merito dubitandum putat cum *Anth. Matthæi Brunneman. ad l. 9. C. d. Test.* Neque simpliciter etiam eandem admiserim, cum istiusmodi testimonium tam in civilibus quam criminalibus aliis adminiculis possit & debeat adjuvari. In civilibus quidem iuramento suppletorio, in criminalibus verò tortura, sicuti patebit infra in membro III. Neque simpliciter improbârim, præsertim in casibus memoratis & similibus, ubi iuramentum suppletorium vix inveniet locum. In criminalibus v. boni id iudicis reliquerim arbitrio, an pro ratione circumstantiarum velit & possit unius restis edicto acquiescere, an verò simul ad torturam procedere, & hæc duo remedia pro eruenda veritate combinare. Tortura profectò est res periculis & fallaciis plena, sive robustum, sive infirmum torseris. Robur enim mendacium facile facit, infirmitas necessarium, *cum plerique duritie tormenta consemnât, alii verò tantâ sint impatientiâ, ut quidvis mentiri, quam*

quam pati tormenta velint, fatente ipso *Ulpiano in l. 1. §. 23. de quest.* Qua adeo iudex magis dubius, quam certior reddi possit, præsertim si maleficus torturâ superatâ testis edictum elideret. Unde etiam motus videtur Salomon, ut in causa infanticidii & plagii inter duas illas mulierculas naturali maluerit confidere præsumptioni, & mulieri lectionem infantis prohibenti, quod illam ex naturali illo affectu matrem crederet, infantem adjudicare, quam torminibus rem committere. *1. Reg. 3. v. 16. ad finem.* Quod Salomonis iudicium tantum abest, ut à DD. improbetur, ut potius *Grotius l. 3. c. 1. n. 15. de I. B. & P.* id tanquam divinitus datæ sapientiæ specimen jactitet. Quanto E. magis ad unius & omni exceptione majoris testis depositionem ita definitivè decidere liceret. Cui tamen non assimilari meretur casus illa sequentis decisio. Legitur nempe mulier tres habuisse filios, & horum unum saltim esse legitimum, in articulo mortis marito aperuisse; nemine tñ. nominato. Pater v. inscius, quis eorū esset filius, moriens dedisse hæreditatē primogenito suo. Unde inter fratres de hæreditate lis orta, & ad ius itum, Iudex in dubio hoc casu anceps patris corpus iussit extrahi, ipsiusque cor à litigantibus sagittis peti, hac conditione, ut qui propius ad cor patris accederet, ille esset hæres. Duo ex illis sagittarunt, sed tertius recusavit, affirmans, se malle carere hæreditate Patris, quam sagittare. Ex quo iudex præsumens, fortè etiam rem acu tangens, ipsum verum esse filium, hæredem ipsum declaravit. Sed an justè, meritò dubitat *Bocerius decis. 299. n. 8. cum filii illi fuerint in possessione filiationis vel quasi, & sic habuerint jus quæsitum.* Possessio verò non adeò levis est momenti, ut ob nudas præsumptiones ab iisdem possidentes possint expelli, uti apparebit infra *ex §. 11. hujus membri*

bri versus, *Glossa v.* præsertim quod mulieri in tali calu non fuisset credendum, cum matri etiam in ultimo articulo vitæ asserenti, filium non esse legitimum, non credatur. *l. 3. §. 1. ad Scutum Silan.* Ceu etiã Respondit *Vultejus. 3. Vol. Cons. Marp. 17. n. 22. & seqq.* Quæ tamen omnia non eò intellecta cupio, quasi omnino non ad torturam, quàm potius cautè ad eandem procedi velim.

§. 9. Alter casus, quo unus testis plene probat, est, si partium litigantium intercedat consensus. Licet enim de jure civili testis unus ad perhibendum testimonium nequidem admittatur. *l. 9. C. d. Test. privatorum* verò convectione istiusmodi juris Constitutionibus non possit nec debeat derogari. *l. 27. & 45. §. 1. d. R. 1.* non tamen hoc ita simpliciter procedit, sed saltim de substantialibus & solennitatib⁹ negotiorû, sicuti has LL. post *Deciû in h. l. Bronchorst.* & plerosq; in *R. I. Comenta-* tores rectè videmus limitari. *Conf. Struv. Ex. 6. §. 23. 24. & c.* Deinde etiã hoc in favorem rei procul dubio est introductum, ne unius valeat testimonium. Favori autem pro se introducto renunciare nemo prohibetur, nisi renunciatio vergat in præjudicium publici. *l. 51. C. de Episc. & cl. & l. pen. C. de Pact.* Quinimò in arbitrum Compromissarium adeò potest consentiri, ut totam causam cognoscat instar judicis, litemque determinet. *l. 14. & 45. ff. de Recept. & Arb.* Quidni E. in unum testem, ut & ipsius stetur testimonio. Faciunt huc argumenta *l. 1. pr. ff. quar. rer. act. nondatur & l. fin. C. de fideic. à Mascardo. quest. 11. n. 12. allata.* Hinc etiam à Dominis Cameralibus in certa causa hanc in rem pronunciatum fuisse observat. *Mynsing. 5. obs. 26. n. 4. cum hoc tamen grano salis*, ut ibidem addit, *sive temperamento, ut intelligatur proce-*

procedere, quando consensus praestatur certa persona, & nominatim quoad certum negotium, ne aliter praebeatur ansa fraudibus & falsitatibus. Quam cautelam etiam addunt *Beust. ad d.l. Admonendi n. 1156. Berlich. Concl. 36. n. 68. Covarruv. 2. Resol. 13. n. 1. versu, verum opinio.* Addunt & limitationem *Vultejus Iprud. Rom. 2. cap. 2. n. 44. & Wissenb. ad ff. Disp. 43. §. 32.* non nisi scilicet in civilibus hanc conventionem procedere.

§. 10. III. Si Imperator, vel alius aliquis summus Princeps in Civilibus de facto suo vel coram se gesto testetur. *Farin. quest. 63. n. 103. Beust. ad d. l. n. 1165. Vmm. Disp. 16. n. 40. Brunnem. ad l. 9. etiam si, cum adhuc essent in minoribus, illa viderint, uti hoc ampliat Eberh. in LL. Leg. l. 129. n. 19.* Quod quamvis ab *Anth. Matthaei apud Brunnemannum d. l. aliisque à Farinacio d. l. n. 83. citatis.* in genere omnimodo velit negari, non tamen ejus invenio rationem. Placet potius pro contraria hac nostra praegnans illa *Brunnemanni ratio.* Quod judici superiori ex conscientia sua contra acta & probata permillum sit judicare, imò divino & humano juri consentaneum hoc arbitratur *Hotom. quest. Ill. 27.* & quatuor solidis idem confirmat rationibus *Vngep. 4. Exerc. Justin. 16. quest. 5.* Quibus adde *Franzk. 1. Resol. 22.* Si verò hoc, quanto magis, ubi nihil contra probatum, Principis stabitur assertioni. An verò hoc ad alium valde dignum de facto suo referentem possit extendi, non immeritò quis cum *Vmmio & Farinacio d. l.* dubitaret. *Mascardus quidem. quest. 11. n. 20. & Regn. Sixtinus 1. Conf. Marp. 11. n. 85. aliq. ab illis & Farinacio n. 207. relati,* id quidem velle videntur, *moti. l. 58. §. fin. ff. de Aedil. Ed.* Quod tamen, nisi alia simul adsint adminicula, vix concess-

cesserim. Et quidem ipsa lex, ita se explicat, & Sixtinus de casu suo expresse testatur, quòd extrajudicialis & quidem geminata partis adversæ confessio, quæ testem juvaret, accesserit. *n. seqq.* Hoc etiam concesserim cum *Farin. quest. 65. n. 115. Wesenb. conf. 70. n. 8. & Nolden. de statu Nob. Cap. 12. n. 16.* quòd nobiliores sunt testes, eo magis ipsis tribuendum esse fidei, *viētus. l. 3. pr. ff. d. Test.* non verò absolutè credendum. Homines enim sunt, & nihil humani alienum à se putant, quos Psalmista sine discrimine mendaces dicit *Psal. 116. vers. 11.* Nec hoc negarim, si magistratus vel officialis aliquis de proprio facto ad officium suum spectante. v. g. Ministri illi publici *Canzleyen, Pedellen / Hoffgerichts, oder sonst geschworne Frohn-Botten* de citationibus earumq; acceptationibus, aliisve actibus referant, ipsis plene posse credi. *Mascard. d. l. n. 15. Farin. quest. 63. n. 227. Berlich. l. 6. n. 70.* Cautè tamen iudex hic procedat oportet, & pro ratione causæ, personæ, aliarumve circumstantiarum credat plene, & non credat. Id hic quæritur; An de commissione simpliciter referenti plenè credi possit & debeat? *Farinacius d. l. n. ult.* multum dubitat, cum ne quidem de facto proprio de ponenti plenè debeat credi nedum de facto alieno. Quod tamen *Berlich. d. l. n. 60.* ita post alios cum Dissidentibus conciliare studet: Si scilicet v. g. magni alicujus Principis minister subditis de commissione sibi à Principe delata referat, & commissio illa subditorum concernat comòdum, tum plenam ipsi posse tribui fidem, non æq; tamen, si ipsorum damnū & præjudicium.

§. II. IV. *In causis summaris & parvi præjudicii* Quod *Brunnemannus d. l.* adeo verum putat, ut de eo non amplius sit dubitandum. Dupliciter autem dici causam sumis

summariam notat *Gailius. 1. obs. 106. n. 3.* & ex eo *Rödingi-*
us in Pand. Cam. lib. 3. tit. 63. d. Exec. (1.) Ratione ordinis
 procedendi, si summarie de simplici & plano sine strepitu
 aut figura iudicii, non observatis solennitatibus juris posi-
 tivi, sola facti veritate inspecta procedatur. Quænam
 autem tales causæ sint, prolixè prolequitur *Maranta in*
Spec. Aur. P. 4. Dist. 9. ubi à n. 3. ad 202. 30. earum recen-
 tet. Quas breviter repetit *Rosbach in Praxi Civ. tit. 21.*
à n. 10. ad 15. Quibus adde *Glossam in l. 3. §. 9. verb. sum-*
matim ff. ad Exhib. & Ordinationem Cam, p. 3. n. 3. tit.
Extraordinariam Quas *Scotanus in Exam. Iurid. p. 2. d.*
Iud. p. m. 187. ad quatuor revocat classes. (1.) Cum perso-
 narum qualitas id exigit, uti, si sit causa miserabilium per-
 sonarum, incarcerationum &c. (2.) Cum ita convenit in-
 ter partes. (3.) Cum id postulat qualitas rei controversæ
 uti si agitur, de dilationibus, de cautione præstanda. &c.
 (4.) Cum actionis qualitas id desiderat, uti in actione
 ad edendum, ad exhibendum in causa ex *L. Diffamari.*
 &c. (2.) Ratione probationis, quando semiplenæ proba-
 tiones, præsumptiones & indicia sufficiunt. Et in his
 testem unum sufficienter probare quis dubitaret. Ubi
 enim id, quod minus probat, sufficienter probat, mul-
 to magis ibi id, quod magis probat, sufficienter probat,
 per argumentationem *Middelburgi Loc. 15.* Minus verò
 in illis prioribus, nisi sint levioris momenti. Ad istius-
 modi causas summarias ratione probationis referri me-
 rentur iudicia illa provincialia reo vel mulctam, vel exis-
 guam corporis afflictionē infligentia hinc inde recepta,
 ut in patria mea comitatu nempe *Lippiaco das Gohge-*
richt/ vel alibi *das Bruchgericht*: Et de quibus ordi-
 natio *Juliacensis cap. 1. das ohnverzöglich Recht und*
Nohtgericht. Maximè huc referri merentur iudicia illa
 C West.

Westphalica, die Westphälische Frey- und Blutgerichte/ quorum originem quidam Friderico III. plurimi autem Carolo M. tribuunt, quos etiam præ illis juvat *Reform. Francof. de anno 1442. §. 9. verba*: Und daß es damit dieselbe nicht anders halten / denn wie es von Anfang durch Kenser Carolen den Grossen / unserm Vorfahren am Reich etc. gesetzt und geordnet ist. Instituta autem hæc erant contra eos, qui religionem catholicam pejerassent, vel aliud grave maleficium commisissent, qui, ubi primum comprehendebantur, nulla citatione prævia, aut defensione præmissa ex potestate illorum judiciorum, ad supplicium trahebantur. Quæ cum à fine ordinato lapsu temporis degenerarent, Imperatores aliquoties illis auxilia adhibere coacti sunt, ceu videre est ex *d. Reform. & Maximiliani de anno 495. Rec. Imp. de anno 521.* donec tandem omnem medicinam superante malo penitus abolita conciderint, ita ut hodie modicum vel nullum eorum esse ulum dicat *Sprenger. Iprud. Publ. tit. de iudic.* Quod prius concesserim, non v. posterius. Adhuc hodie enim in patria video constitui Frey-Graffen / qui in certo ibidem districtu leviter delinquentes multatâ, capitaliter verò post decretam à Judice ordinario executionem baculo fracto ad pœnas polcunt. Confer de his judiciis *Denaisii lus Cam. de Idict. Iud. Westph. Wehnerum in obs. Pr. & Speidelium in Notab. voce: Westphälisch Frey-Gericht.*

§. 12. Nobilis autem hic & diu multumq; vexata se offert quæstio. An iudicium quoque possessorium fit una ex summariis istiusmodi causis, quæ uno teste expediri possit? *Bartholus in l. 1. n. 10. C. Quorum bon. pluresq; alii à Menoch. I. remed. Adip. poss. n. 96. & rem. 15. n. 410. d. Recup. poss. & Trentacinq. 2. Resol. II. de Prob. relati-
tidi*

si id affirmant moti imprimis *l. fin. C. d. Ed. D. A. Toll. &*
 quod causa possessionis sit parvi præjudicii, quod in pe-
 titorio reparabile. *Glossa vero in l. 1. lit. h. C. Quorum bon.*
Salyc. in eandem colum. 2. Ripa in l. 2. n. 8. ff. Quorum bon.
 & infiniti alii à prælaudatis citati negant, eamque suam
 negativam communiorem & veriolem renunciant. *Ro-*
land. à Valle cons. 50. n. 16. in contrarium ducti, potissimum
 textu in *§. 4. vers. commodum I. d. Interd.* & quod magni
 sit præjudicii, cum quandoq; ad se proprietatem trahat.
c. 31. d. Præbend. in 6. & dominium difficilis sit probatio-
 nis, possessor verò & petitor si sint in pari causa, ille obti-
 neat, qui possidet. *d. §. 4. & pulchrè Baldus in l. 12. C. d. Prob.*
 Imò nunquam in S. Conc. Neap. illam possessionis cau-
 sam terminari sine aliquo proprietatis examine se vidisse
 testatur *Matth. d. Affl. decis. 364. n. 5.* Malcardus *quæst. præ-*
lim. 11. n. 17. d. Prob. accedit quidem affirmantibus. Sed
concl. 1198. n. 17. plurimum tamen adhuc in iudicis arbi-
 trio, an possessio plenam, an verò semiplenam requirat
 probationem, residere existimat. Plotus tandem in *Repet.*
l. 9. C. unde vi n. 115. Menoch. cit. rem. n. 410. & Farin. quæst.
63. n. 33. d. Test. hanc litem composituri distinguunt inter
 possessorium summarissimum & ordinarium sive plena-
 rium, dicentes in illo affirmantium obtinere opinionem,
 in hoc verò negantium. Quod approbat & in Camera
 observari testatur *Gailius l. Obs. 7. n. 2. & 6.* Ubi simul ex-
 plicat, quid sit ordinarium possessorium, quid summa-
 rium sive momentaneum. *Illud nempe, in quo juris ordine*
servato proceditur, principaliter & absolutè de possessione
partium disceptatur, plenè probationes requiruntur. Hoc
verò summarium scilicet, in quo nullo juris ordine servato
maturè & summarie proceditur, ad eumque finem potissi-
imum instituitur, ne lite pendente partes ad arma veniant.

Gœddæus tamen 3. *Conf. Marp.* 32. n. 36. adhuc dubitat, anne hoc ita simpliciter procedat, eò quod in summarissimo eadem militent rationes, quæ in ordinario possessorio, periculum scilicet, præjudicium & quod iudicem oporteat cunctarimari. Et sane, si casum, quem sub manibus tractat, ponderemus, meritò dubitat, cùm possessorium de consanguinitate iudicium ita sit comparatum, ut nullum aliud post illud speretur, quo emendari vel corrigi possit, petitorio de illa propriè dicto non suppetente. Sed cùm hic specialis sit casus, & distinctio in super hæc, ejusque jura jam usu invaluerint, teste Gailio *l.c.* imò ad pacem publicam in imperio firmiter servandam per expressas constitutiones Caroli V. & Ferdinandi super litigiosa sive momentanea possessione in Comitibus Wormatiensibus & Augustanis Anno 1521. 48. & 55. promulgatam, revisam & ampliata sint confirmata, & in Ordinatione Cam. P. 2. tit. 21. de iis dispositum, teste eodem *l. obs.* 5. n. 1. & nos iis meritò acquiescimus, hac tamen cautione, si summarissimum tanti sit præjudicii, ut in casu Gœddæi & similibus, iudicem non nisi plenam, si habere possit, admittere debere, & è contra ordinariè atq; si meliores haberi non possunt, tam in ordinario quam summarissimo etiam præsumptiones & conjecturas admittere posse, uti hoc prolixè prosequitur *Gerh. Phantuch. tract. de Summarissimo Poss. Lib. 2. c. 15. n. 19. & seqq.* & de probatione filiationis in specie asserunt *Trentacing. 2. Resol. II. d. Prob. & Magn. f. Dn. Schultz. 1. Ctus apud Rinthelenses sublimitate ingenii & miræ humanitate mirè commendabilis Disp. Inaug. de Probat. Filiat. §. 7. ubi & in seqq. à §. 8. ad §. 20. tredecim istiusmodi pro filiatione enumerat conjecturas. Quæritur autem, cùm semiplenas promiscuè hoc casu admittamus probationes, an iuramentum etiam possit*

possit deferri? *Re.* Juramentum, quod vocant suppletorium, non posse deferri, nullum est dubium, utpote quod in defectum saltem probationis defertur *l. 31. ff. d. Iurej.* Ubi autem probatio per se sufficiens est, juramentum hoc vi vocis abundat *c. 2. x. d. Prob.* Judiciale autem deferri quidem potest ex generali ratione *l. 3. § 1. & 3. l. 34. pr. d. jurej.* Sed se id nemini consulere dicit laudat. *Dn. Phankuch. l. c. n. 31. tum quia deferenti ex eo etiam in pleuario possessorio irreparabile damnum gignatur: Tum quia propriè ad decisionem causa, non ad hoc iudicium praeambulatorium (Vbi de sola informatione perfunctoria, uter actoris partes sustinere debeat, disquiritur) spectat.*

§. 13. V. Teste unico probatur interesse tertii intervenientis, quia est questio praeambula & preparatoria, non a. decisoria, uti loquitur *Gail. I. obs. 69. n. 4. arg. l. 15. § 4. d. Appell. Umm. Disp. II. §. 1. n. 6. Hiltrop. Proc. p. 2. tit. II. n. 62. Mynsing. 2. obs. I. & prae laudatus Dn. Schultz. in Disp. Inaug. quam mellitissimus meus frater sub ejus pro gradu habuit praesidio, De Oppositione Tertii §. 6. & 7. (VI.) Necessaria rei defensio, de qua peculiare vide consilium apud *Wesenb. I. Cons. 19.* sicuti quaslibet probationes fictas & imperfectas innocentiae favore admitti contendit *Gailius 1. de Pace publ. c. 16. n. 22. & seqq. (V. I.)* Identitas bonorum, *Card. Tuschus lit. 1. concl. 4. Ioseph. de Sesse, 2. Decis. 137. n. 138.* (VIII.) Credi etiam volunt testi uni, si nulli praedictum infertur v. g. Si quaeratur, an quis sit Doctor, Clericus, baptizatus &c. *Iason in l. Admonendi n. 198.* (IX.) Conspirationem revelanti, vel crimen laesae Majestatis *Berlich l. c. n. 73.* (X.) Quando agitur de damno perpeffo propter violentiam alicujus commissam. Quia probata violentia statuitur juramento ejus, qui damnum perpeffus est, ratione valoris rerum amissarum,*

U. si quando 9. C. Unde vi. Beust. l. c. n. 1163. Gail. de Pignor. obs. 16. n. 8. & obs. 8. tot. ubi n. 2. interlocutoria simul & definitiva formulam hac in causa reperies. Si autem solus Principalis stetur juramento, quidni etiam testis, quem causa non attingit. Quod tamen Mynsinger 4. obs. 12. ad heredem spoliati non vult extendi, nisi actor aliis probandi adminiculis rerum ablatarum valorem doceat. Atque ita à Dnn. Cameralibus in causa Comitum de Henneberg contra Duces Bavariae fuisse observatum ibidem testatur. Cæteros casus cum his vide passim apud DD. Durand. in Spec. I. de Teste §. Restat. II. ubi 30. horum recenset: Card. Tusch, lit. T. concl. 281. Berlich. concl. 36. à n. 58. ad n. 76.

MEMBRUM II.

De

Forma Probationis Individualis, sive Testis Unius.

§. I. **C**um finis producentis testes sit, ut per ipsorum testimonia fides fiat rei dubiæ, & sicutandem ejus pro se decisionem à judice obtineat *l. 1. pr. l. 2. & 3. §. 1. & seqq. l. 21. §. fin. ff. d. Test. l. 1. C. de quest. omninò tanquam forma essentialis in testimonio requiritur 1. Ut testis sit persona fide digna per *ll. cit.* Testis enim ipse fide destitutus, qui alii fidem faceret? cum nemo possit transferre id, quod ipse non habet per *l. 54. ff. d. R. I. (2.)* Ut legitime deponat. Si a. hæc aliàs, maximè & in summo gradu in teste uno requiruntur. Præterquam enim, *quod unus testis fides satis exorbitet à jure communi, adeò ut modicus defectus in eo impediat semiplenam probationem*, ut cum Baldo loquitur Beust. in *l. Admonendi n. 1134.* defectus ipsius*

ipsius vel in persona, vel depositione, secus ac in testimonio copia, per alios non potest suppleri. Hinc etiam *Carpz. p. 1. Const. 23. Def. 5.* qualitatem istiusmodi optimam maximam hoc nostro casu præcisè requirit, atq; ita à Scabianis fuisse decisum refert, in causa *Zollmanns contr. Tob. Höfflern* verbis: Ob nun wohl Ihr als Kläger eure Klage durch einen Zeugen erwiesen und gebracht habt / in welchem Fall die *probatio pro semiplena* zu achten / und daher / wenn solcher Zeuge *omni exceptione major*, und das Gezeugnis ohn verdacht / gebracht worden ic.

§. 2. Testis autem fide dignus & omni exceptione major in jure nostro dicitur, cui nihil potest opponi, vel nulla exceptio objici. Ein glaubhafter guter ohnverwerfflicher Zeuge / der ohnverleumbt / und sonst mit keiner rechtmässigen Ursach zu verwerffen ist. *P. H. D. art. 30. Matth. Steph. & Lud. Gilhausen ibidem* Atque tales in simplici qualitate omnes sunt, quibus in jure testimonium non interdicitur, cum interdictum hoc sit prohibitorium, sicuti edictum de Procuratoribus. *l. 43. §. 1. de Procur. Meyer in coll. Arg. de Test. §. 6.* Interdicitur autem alicui testimonium ob conditionem, vel vitam, vel facultates, inimicitiam vel amicitiam. *l. 3. pr. d. Test.* Aut, ut hos defectus eadem *l. §. 5.* strictius refert, propter reverentiam personarum, aut lubricum consilii sui, aut propter notam & infamiam vitæ suæ. Et quidem in totum, vel in tantum.

§. 3. In totum prohibentur. (1.) Servi & statu liberi. *l. 8. & 11. C. de Test. arg. l. 32. d. R. 1. junct. l. 22. ff. d. Test.* cum distinctione *in d. l. 8.* non itè adscriptitii, cum hi non sint servi *Nov. 123. c. 17. junct. l. 37. §. 1. C. d. Episc. & Cler. [2.]* Impuberes ob lubricum cōsiliu *l. 3. §. 5. & 19. ff. d. Test. (3.)* Furiosus,

riofus, quia non intelligit, quod agit, adeoque nullum negotium gerere potest. §. 8. l. de Inut. stip. & qui moraliter talis ob furiosum bonorum, quem facit, exitum, prodigus nempe. §. 6. l. de Testam. sed ex decreto magistratus talis arg. l. 6. ff. d. V. O. Gail. 2. obs. 51. n. 2. (4.) Muti, surdi, cæci quatales cum limitationibus tamen *Struvii Ex 28. §. 38. & Farinacii quest. 61. oppos. X. & XI. (5.)* Infamiâ notati, & quidem ad unum omnes, qui l. 1. De his qui not. inf. recensentur, non quidam ex genere infamium. Licet enim quidam, *Donellus, Comm. 25. ad l. Testium 18. n. 30. C. d. Test. Hillius. in D. E. ibidem. it. F. Bachov. ad Tr. vol. 2. Dispp. 5. §. 8. tit. B. & c. jure*, quod in Digestis relatam, non rejiciant promiscuè omnes infames à testimonio, tamen si vel maximè hoc verum esset, quod nos non disputamus, hoc nostro casu in testimonio nimirum individuali, non posset concedi. Præterquam enim, quod *Nov. Justiniani 123. c. 1.* hoc jus apertius constituerit, ut ipse fateatur *Donellus l. c. n. 40.* in hanc sententiam, ut omnes infames pariter à testimonio removerentur, multò magis hoc casu veniunt removendi, ubi modicus nocet defectus, nedum tantus ex infamia proficiscens. Hinc etiam usurarium indistinctè de omni jure repellimus à testimonio imprimis individuali *ob l. 20. C. Ex. quibus C. inf. irr.* Bannitum & excommunicatum, de quibus *vid. Farin. quest. 56 art. 7. n. 240. & multis seqq. & art. 9.* Quo etiam referunt nimis egenos, quos tamen fames magis, quam fama incitat & repellit. Et cum quis non tam patrimonio, quam fide idoneus aestimetur *l. 112. in fine d. V. O.* nec facultates aut dignitas ita sufficientes sint ad fidem, ut benigni mores. *l. 21. §. 5. d. Tut. dat. & l. 46. §. 1. d. V. S.* judicis eos permittimus arbitrio, quantum fidei ipsis tribuere velit, ita ut si integræ sint vitæ scelerisq; puri, eos admitat, si verò sublesta fidei, repudiet.

§.4. In tantum à testimonio repelluntur. (1.) Qui contra certas personas testimonium dicere prohibentur. (2.) Qui pro quibusdam ad testimonium non admittuntur. (3.) Qui in certis causis testimonium ferre vetantur. Et deniq; (4.) Qui invitati ad testimonium contra alios perhibendum non compelluntur. Quos omnes in specie enarrare & examinare non est nostri instituti. Actum hoc est passim. à DD. Hillig. in D. E. à c. 9. ad 14. Perez in Cod. d. Test. à n. 2. ad 17. Meyer in Coll. Arg. à §. 6. ad II. d. t. Struv. Ex. 28. à §. 38. ad 41. Vmmio in Proc. Disp. 16. à §. 1. ad 6. quos plenius informari cupidus audeat.

§.5. Inhabilitas autem illa non præsumitur. Quin potius naturalia, quæ naturâ vel lege requiruntur, semper præsumuntur adesse, nec ipsorum præsumitur mutatio Struv. Ex. 18. §. 18. Unde quilibet præsumitur bonus, bonæ existimationis, & famæ, arg. l. 5. §. 1. de Var. & Extr. cogn. donec probetur contrarium. Adeoque ab allegante eandem venit probanda, nisi sit notoria, arg. c. 3. & 9. X. d. Test. Nec obstat, quod inhabilitas sit qualitas negativa, negativorum verò nulla sit probatio, eo quod habeant carentiam seu nullam existentiam, adeoq; etiam tanquam non-entia nulla accidentia, nullas qualitates, nullas affectiones, per vulgata Philosophorum. Præterquam enim, quod inhabilitas illa non simpliciter sit qualitas negativa, sed multum positivi in pluribus exemplis admixtum habeat, & ex facto subjecti dependeat. v. g. Usurarium, excommunicatum, amicum &c. esse, qualitatis negativam (quæ secundum Hiltrop. p. 3. tit. 8. n. 23. triplex animi, corporis vel conditionis) allegans semper tenetur probare, quod præsumptio sit pro illo, de quo negatur qualitas, præsumptio verò transferat onus probandi in Adversarium. l. 25. pr. §. 1. & 2. ff. de Probat. adhi-

D

bitis

bitis tamen à prælaud; Hiltropio allatis ibidem distinc-
tionibus.

§. 6. Illud in specie hic quæri meretur. An illa quali-
tas, quæ quis dicitur omni exceptione major, etiam ita
sit præsumibilis, ut onus probandi transferatur in negan-
tem eam? *Mascardus vol. 1. concl. 222. n. 14. & vol. 3. concl.*
1360. n. ult. Farin. qu. 47. n. 211. & qu. 62. n. 1. & multis seqq.
Surdus conf. 73. n. 39. 40. & conf. 151. n. 77. aliiq; ab ipsis relati
negativam tenent, eamq; tanquã comuniorem & verio-
rem defendunt ex eo, quod illa qualitas, qua quis dici-
tur omni exceptione major, plus importet, quam ido-
neitas siveabilitas simpliciter talis, cum superlativus
semper majorem ponat gradum, quàm positivus, & sic,
qui bonus, non statim præsumendum esse optimum.
Hinc *Mascardus d. l. Advocatis* suggerit, ut cauti sint
hac in re, quia cum qualitas ista non præsumatur, nisi
probata sit, nihil relevent testes examinati. Quod &
mihi rationabile pariter & æquum videtur. Quia enim
hæc præsumptio, qua quis præsumitur bonus, est naturæ,
ut dicit *Glossa in l. fin. ff. Quod m. c. gestum. n. 3.* natura verò
censetur in omnibus æqualiter agere, & quæ ab ea vim
acceperunt, eandem in omnibus servant, ut loquitur *B.*
Zach. Vietor. Cancellarius olim Waldeccensis. Top. Diss. 4. n.
131. & 135. sequitur, quod quis producens aliquem ut opti-
mum, illum tanquam à communi regula exceptum, ta-
lem teneatur probare, imprimis, quod in superlativa talis
testis qualitate ejus fundetur intentio, eam autem omnia
no plenam facere quemlibet oporteat. *l. 8. §. 3. si serv.*
vind. l. 1. & 19. ff. d. Prob. & sibi eadem prodesse, alteri verò
obesse laboret. Conf. Masc. l. c. & imprimis vol. 3. concl. 1248
n. 13. 14. & seqq.

§. 7. Huc etiam referri meretur quæstio: An quis
præ-

præsumatur bonus facultatibus? Quam etiam Mascardus. *d. concl. 222. n. 17.* immediate præcedenti subnectit, eamq; simpliciter negat, nixus autoritate Glossæ comuni DD. calculo approbatæ *in l. 5. §. 1. verbo dubitetur. ff. Quis satisd. cog.* quæ dicit, quod quis quidem præsumatur idoneus moribus, sed non divitiis. Sed vide quam elegantissime hanc quæstionem pro & contra ventilatam, & tandem, imprimis si quis in paupertate primariò suam fundet intentionem, affirmativè decisam. à *Wilh. Anthoni Magni illius Gothofredi Anthoni Magno filio & Assessore olim Camerali rr. de Rescr. Morat. tit. 7. concl. 22. ab initio ad n. 49.* ubi præ cæteris *n. 27. & seqq.* elegantissime expedit distinctione inter statum hominis primordiale, medium & ultimum, dicendo: In originali & ultimo neminem quidem præsumi divitem ex testimonio ipsius sacri Codicis *Iob. i. vers. 21.* bene tamen in statu medio, cum quilibet, dum vivit, possit acquirere *l. 5. in fine ff. de Separ.* adeò ut Gothofredus ad hæc verba *lit. C. injuriæ speciem* dicat, quem appellare pauperem. Hinc etiam quemlibet præsumi solvendo esse, donec probetur contrarium per expressum textum *in C. ult. x. d. præsumpt.* Cui etiam ad stipulatur ordinatio *Proc. Sax. tit. 1. §. Würde sich nun so viel zc.* ex cujus tenore *Carpz. p. 1. Const. 23. Def. 14.* non solum juramentum paupertatis requirit, sed etiam aliquo modo, priusquam ad id admittatur, fidem de eo faciat. Uti etiam judicatum refert in causa *M. Taxens contra Hansen Weebussen zu Buchholz.*

§. 8. Alterum, quod ad formam testimonii individualis requirebatur, erat legitima depositio. Ad quam generaliter requiritur. (1.) Ut testis legitimè sit productus, de cujus forma veteri & hodierna consule *Meyerum in Colleg. Arg. à §. 16. ad 22.* (2.) Ut juratò deponat.

D 2

Inju-

Injurato enim testi non creditur. *l. 9. & 19. C. d. Test.* quam substantialem depositionis dicit solennitatē *Setfer. lib. 3. c. 9. n. 7. d. Iuram.* & absque quo ne quidem testes dici merentur. *Heigius vol. 2. quest. 4. n. 32. (3.)* Ut super articulis interrogatoriis deponat, extra quos nihil probat *cap. 19. x. d. Test.* (4.) Ut perspicuè & distinctè deponat, cum paria sint, non respondere, vel obscurè respondere *l. 11. §. 7. ff. de Interr.* (5.) Ut viva voce, non per literas deponat, *l. 3. & 4. ff. d. Test. arg. Nov. 73. c. 3. Setferus d. tr. cap. 12. n. 23.* Testimonia enim sunt, cum dicuntur, inquit *Hillig. in D. E. cap. Ult. lit. S. d. Test.* Quo etiam potissimum collimare putant *Donellus & Brunneinan. l. Sol. 4. C. d. Test.* atque id etiam omnino requiri, faciunt rationes ab ipsis ibidem allatæ. (6.) Præsentiam partium juramento admittimus, sed à depositionibus *Glossa in cap. 2. n. 6. verb. audire x. d. Test. Farin. q. 8. n. 93. totaq. DD. Schola & Stylus fori* ipsas abesse volunt. Sed Donello existimante, absque ullo fundamento ullius juris sive civilis sive Pontificii, & æquitatis *ad l. si quando 19. C. d. Test. p. 216.* imò contra mentem & verba Justiniani *d. l. 19. & 18. C. d. F. Instr.* uti existimat *Wissenb. ad d. l. 19.* Quorum rationes, rationumque adversantium elisiones *vid. ll. cit.* Quas breviter repetunt. *Hillig. in D. E. cap. ult. lit. R. ad finem d. Test. Vmmius Disp. 16. §. 10. n. 62.* Ex quibus quamvis patere videatur, partes non solū ad videndum jurare testes debere usu fori citari, sed etiā examini interesse posse, quin debere, hodie id tamē vix permittitur usu fori cum comuni illa *Glossæ & DD. sententia à lege divortium faciente, ut ipse fatetur Wissenb. l. c. & Gudelinius d. I. N. lib. 4. c. 10.* Hoc tamen partibus adhuc permittitur, ut Adjunctum constituent, qui testium examini intersit, qui tamen mediante juramento, quod vocant *das Adjuncten. Eyd/fidem* silentia-

Mentii promittere tenetur. Sicuti in patria id sæpius ob-
servavi, & hic locorum in judiciis observari inaudi. Ut
specialiter rogentur ad testimonium dicendum non opus
per generalem regulam *in l. 1. ff. d. Test.* nisi in certis casi-
bus. *Nov. 90 c. 2. & auth. Rogati C. d. Test.* enumeratis, &
qui his ab *Hilligero in D. E. cap. 14.* additi. An præcisè et-
iam testium citatio prærequiritur? *Vid. Vmm. Disp. 16.*
§. 9. n. 5.

§. 9. In specie autem ad depositionem Unius
& quidem omni exceptione majoris testis requiritur.
1. Ut deposito res, de qua, sensu aliquo corporeo, visu
vel auditu sit cognita atque perspecta *Nov. 1. c. 2. versu. Si*
verò absunt. Visu, si res cadat sub visum, ut solutio debiti.
Auditu, si sub auditum, ut verba, sermones, orationes, sti-
pulationes &c. Dicant enim, quod noverint, oportet.
N. 123. c. 7. Non autem noverunt certò, nisi quæ sensibus
perceperunt, per rationem vulgarem, quod nihil sit in
intellectu, nisi quod prius fuerit in sensu. *Masc. vol. 1. g. 5.*
n. 27. & vol. 3. concl. 1361. n. 1. Donellus ad d. l. Testium 19. C.
d. Test. ubi in fine huic sententiæ contraria relolvit. *Hillig.*
in D. E. cap. 14. lit. A. B. C. An verò & quomodo testis ex
auditū alieno quid probet? *vid. Farin. quest. 69. ab initio*
ad cap. 4.

§. 10. Secundò requiritur, ut non solum rem
sciat, sed & scientiæ suæ rationem & causam reddere pos-
sit. Licet enim duo testes omni exceptione majores re-
gulariter non teneantur reddere rationem dictorum su-
orum, nisi interrogati, & tamen plenè probent eam non
assignantes, exceptis iis, quæ immediatè cadunt sub ju-
diciū intellectus, & aliis quibusdam casibus, de quibus
etiam non interrogati tenentur reddere rationem. *Glossa*
in l. Sola. C. d. Test. & DD. ibidem; Unus tamen testis non

D 3)

probat,

probat, nisi reddat rationem dicti etiam non interroga-
 tus. *Maranta in Spec. Aur. tit. de Test. Prod. n. 14.* Qui enim
 sponte reddit rationem dicti sui, majorem facit fidem, quam
 ii. qui deponunt vel interrogati, vel non interrogati sine ra-
 tione, ut loquitur idem *Maranta in Notab. lit. T. p. m. 87.*
 Ratio est, quia hic militat qualis qualis suspicio, quæ licet
 levis sit, tamen impedit semiplenam probationem, cum
 modicus saltem detectus semiplenæ obsit probationi, uti
 supra §. i. hujus membri ex *Beustio* retulimus. Generaliter
 etiam hanc in rem consuluit *Cothm. vol. 2. Conf. 84. n. 55.*
 & *93. n. 127.* Et hinc in practica notandum ex *Baldo* ad-
 ducit *Maranta d. l. & Beust. l. cit. n. 1142.* Quod si tu produ-
 cas unum testem pro te, qui reddat rationem dicti sui, & ego
 produciam etiam alium deponentem pro me, qui non reddat
 rationem dicti sui, tuus testis sit preferendus meo, ut tibi de-
 beat deferri juramentum in supplementum probationis, &
 non mihi. Sicuti in terminis terè in causa *M. Böttigers*
 contr. *Jacob. Schlegeln.* & causa *H. Kirchner's* contr. *H.*
Lewen invenimus decisum apud *Carpzov. P. 1. Const. 16.*
Def. 44. versu sententia: Dieweil aber dennoch auff
 Schlegeln seiten über der Zeugen Aussagenoch dieses
 sich erengnet/ daß als die streitige Kuh auff seine Triff
 getrieben worden / sie alsbald nicht allein den Vieh-
 Weg / wo Schlegels Kuh auß- und eingehen/ getrof-
 fen/ sondern auch in seinen Hoff gangen / und sich in
 dem Stall zum Strick und Ort / da sie zuvor gestan-
 den seyn soll/ gefunden/ wogegen sich aber auff Bötti-
 gers Triff frembde gestellet / und zu keinem gewissen
 Ort finden wollen/ &c. Confer de hujus requisiti jure,
 ampliationibus & restrictionibus prolixè *Farin. d. Test.*
quest. 70.

§. II. Tertiò requiritur, ut immediatè de ipso fa-
 cto de-

non deponat. Unde si testis interrogatus v.g. de homicidio Caji, & respondeat, se vidisse exeuntem ex ædibus Caji stricto & sanguinolento gladio, intentionem producentis non implet. Et denique quartò requiritur, ut dictum testis non præsumptivè, sed verè & necessariò concludat. Unde si quis interrogatus de alicujus Conditione, existimatione, divitiis &c. respondeat, sibi de his constare ex eo, quod sit vicinus vel consanguineus, itidem non probat: Confer de his requisitis *Beust. l.c. à n. 1140. ad 1149. aliosque ab ipso citatos.*

MEMBRUM III.

De

Effectibus Probationis Individualis.

§. I. **P**rimus effectus hujus probationis est; quod locum faciat juramento, quod vocant, suppletorio. Tale autem juramentum est, quod causâ cognitâ Judex etiam non rogatus imponit ei, qui semiplenè probavit, ut per id perfecta fiat probatio, & causa dubia decidatur. *Struv. Ex. 17 §. 43.* Et requiruntur ad hoc, ut locum inveniat, à *Maranta sex*, & quidem copulativè, ita ut si horum aliquod deficiat, non possit deferri *in Spec. Aur. P. 6. tit. de Juram. n. 4. & seqq. (I.)* Ut res semiplenè sit probata, vel per unum testem omni exceptione majorem, de quo in præcedentibus, vel per alias semiplenas probationes, adeò ut si dubitet judex, an semiplenè probatum, præter se qui regulam; *Actore non probante reum absolvendum esse*, quam ad hoc supplementum decurratur, uti in regio tribunali Wisuariensi decisum refert *Mævius P. 4. Decis. 155.* Potest verò tunc, si semiplena probatio præcesserit sive ab actore, sive à reo facta, utriq;

partis

parti, Actori vel reo, deferri pro ratione probationum, qualitatam personarum, vel aliarum circumstantiarum, quod discretioni iudicis committendum per textum in *cap. ult. X. de Iurej.* Quod & expressè approbatum in *Ors lin. Proc. Saxon.* atq; ita iudicatum in causa *Zollmanns contra Höfflern* dicit *Carpz. P. I. Const. 23. Def. 6.* In dubio verò, quem tamen calum *Brunneman. ad d. l. Admonendi n. 3.* vix putat dabilem, reo esse deferendum per vulgaria iuris, quod rei partes semper sint favorabiliores, quam actoris *l. 125. d. R. I.* Videantur tamen *Beust. ad d. l. Admonendi à n. 167. ad 174.* & *Setserus de Iuram. lib. 4. c. 13. n. 12. Wesenb. 1. cons. 36. n. 17.* diversa quidem referentes; Sed tamen huc ad sententiam nostram concludentes.

§. 2. (II) Requiritur, ut ille cui tale iuramentum deferendum, rem sciat. *DD. communiter in L. Admonendi. Baldus 3. Cons. 401. in fine. Surdus cons. 73. n. 41.* & quidem non scientiâ credulitatis, quæ propriè scientia non est, sed veritatis, per sensum aliquem corporeum, cum sit quasi testis in propria causa, uti rectè etiam tam de jure civili quam Saxonico requirit *Thomingius Decis. 45. n. 17.* Et hinc hæredem, quod juraret de facto alieno, cujus scientia probabiliter ipsum fugere potest *l. 42. d. R. I.* ad istiusmodi iuramentum non esse admittendum, rectè inde infert per *l. 11. §. 2. ff. de Act. rerum Amot. Cons. Beust. d. l. n. 74. Setser. d. l. c. 12. n. 17. 18. & 19.* ubi ex eadem ratione etiam Procuratorem excludit, nisi sit in rem suam. Quod de Jure Saxonico est extra controversiam per definita *Carpzovii P. I. Const. 22. Def. 39.* An verò etiam de jure communi, meritò nos dubitare faciunt *l. 9. § 6. & ult. §. 2. ff. d. Iurej. & l. 12. §. 4. C. de Reb. Cr.*

§. 3. (III) Ut sit persona fide digna, quia & in hoc æquiparatur testi, de quo §. 2. & 3. *Memb. Præced.* Quis hinc

hinc in specie excludendus ab hoc juramento, vide prolixè apud *Beust. d. l. 179. & 207. ad 238. & Seif. d. c. 12. à n. 24. ad finem.*

§. 4. (IV.) Ut causa non sit ardua. Potest autem causa aliqua ardua vocari vel ratione quantitatis, vel qualitatis. Ratione quantitatis, ut causæ civiles, quæ magnam pecuniæ summam concernunt, magnum reo damnum, auctori verò commodum afferunt, ob metum perjurii. *Quæ Glossa sententia licet legibus non probetur, tamen ab omnibus recepta, & est una maxima in jure, & in practica observatur, & ego secundum eam aliquoties pronunciatum esse scio, inquit Beust. l. c. n. 238. Quod tamen fallere putant in Nobili. Mascardus de Probat. concl. 1095. & ab iplo citatus ibidem Franc. Curtius, utpote cui etiam in causa gravi hoc juramentum deferri possit. Quos sequitur Nolden de Statu Nob. cap. 12. n. 19. Quænam vero causa ratione quantitatis ardua dici mereatur, judicis id permittendum esse arbitrio ex communi interpretum calculo existimat Seif. d. l. cap. 14. n. 4. Potissimum autem iudex hoc casu, monente sic Beustio d. l. n. 174. rationem habeat qualitatis personarum, & moris regionum, an personæ sint divites, an pauperes, & res quæstionis ibi locorum sit cara & rara, an vilis; cum homo tenuis fortunæ suum parum tanti æstimet, quam dives suum multum, per vulgare illud *Rustico tam est cara sua vacca, quam Marchioni sua Marchia, & Germanorum: Was achtet ein reicher ein Auge / der einen gansen teich voll Fische hat.* Et res, quæ alicubi in pretio est, alibi nihil vel parum æstimatur, v. g. In regionibus & locis, ubi aquæ abundant, non adeo curantur, quin potius pro servitute Stillicidii vel fluminis avertendi, ubi verò sitiunt, pro non avertendi seu recipiendi agitur servitute l. 1. & 2. d. Serv. P. V. &*

E

l. fin.

l. fin. §. 4. ff. Quod vi aut clam. Struv. Ex. 13. §. 15. & 16. Ra-
 tione qualitatis causa ardua est (1.) Civili sfamola, quā sa-
 tis arduā esse arguit vulgatū illud, quod vita & fama pari
 passu ambulent. Unde etiam expresè dicitur major ö-
 mni causa pecuniaria *l. 104 ff. d. R. I.* & inde hominem de-
 bere pluris facere famam, quam omnia bona *l. 26. pr. ff.*
quis om. c. test. & l. 5. C. de Inst. & Subst. vel oculos suos l. 8.
C. de Decur. lib. x. Conf. Wesenb. 1. Conf. 36 n. 16. & n. 13. 14.
15. de cæteris causis arduis. Variantes tamen hac in re
 DD. Vide apud *Fachin. 1. Controv. cap. 15.* (2.) Crimina-
 lis, utpote quæ vitam simul & famam hominis concernit,
 adeòque probationes luce meridiana clariores exigit *l.*
ult. C. de Prob. & l. 16. C. d. Pæn. nudis verò suspitionibus
 & præsumptionibus non contenta *l. 5. pr. ff. de Pænis P. N.*
D. Caroli. P. n. 22. (3.) Matrimonialis *cap. 34. x. de Iurej.*
 quod ibi agatur de quasi statu hominis, & individua illa
 vitæ societas, sive feliciter sive infeliciter jacta sit alea,
 speciē servitutis contineat, *Glossa in d. cap. 34.* cum vir non
 habeat potestatem sui corporis, sed mulier, & vice versa,
 ipso asserente Spiritu *S. 1. Cor. 7. vers. 4.* Quod tamen *Set-*
serus d. c. 14 n. 12. de casu accipiendum putat, quo agitur
 contra Matrimonium vel impediendum, vel dissolven-
 dum, non verò, ubi pro matrimonio, aliis imprimis cir-
 cumstantiis à *Gail. 2. obs. 44. n. 12. & Beust. d. l. n. 272.*
 expressis concurrentibus, in favorem matrimonii, pro
 ejus confirmatione vel probatione, non verò ejus disso-
 lutione hoc admittitur, ut in terminis docet & præjudi-
 cio confirmat *Carpz. p. 1. Const. 12. Def. 30.* Modo nō sit ma-
 trimoniū clandestinū, in quo nō permittit hoc juramētū
Cothm. 3. Conf. 204. Conf. de his omnibus *Setser. d. cap. &*
Beust. d. l. à n. 238. ad 271. ubi varias referunt harum asser-
 tionum ampliationes, limitationes & explicationes,
 quas

quas omninò vide. Tandem de causis feudalibus quæritur. An illæ semiplenas admittant probationes, quæ iudicem informant ad deferendum hoc juramentum? R. Affirm. per textum in 2 Feud. 33. §. Sacramentum. cum temperamento tamen, dummodo res, de qua agitur, non plinè sit magna. Vid. Prælaudatus Dn. Gothofr. Anthoni Dispp. Feud. 15. §. 6. lit. E.

§. 5. (V.) Requiritur: Ne sit prælumptio in contrarium, propterea enim Camerales id in certa causa denegasse notat *Myn. I. Obs. 68.* Deniq; (VI.) Ut sit à parte ante conclusionem causæ petitum. Quod tamè non necessarium rectè existimat *Brunneman. ad d. l. Admonendi.* quin potius ex officio id iudex causa cognita deferre tenetur, uti in Camera id observari notat, & secundum hanc sententiam in gravi quadam causa iudicatum meminit *Gailius I. obs. 108. n. 6.* Quam etiam sequitur tribunal Wismariense, teste *Mario 5. Decis. 417.* Et ita in foro Saxon. ubique in iudiciis & sententiis observari facit expressum Electoris Augusti mandatum P. I. Const. 23. *verbis: Wir lassen uns disfalls die erste Meinung gefallen/ und wollen/ daß in des Richters Macht stehen soll/ solches necessarium juramentum suppletorium, wann er aus den Acten befinden wird/ daß es geschehen möge/ dem Parth auff zu erlegen und zu erkennen/ solches sey in actis gebehren oder nicht. Darnach sich uniere Hoffgerichte/ Juristen Facultäten un Schöp penstüle in Urtheilen richten und halten sollen.* Quibus addit n. 11. unum valdè necessarium, ut scilicet pars adversa ad videndum jurari citetur, quod & requirit *Beust. n. 178.* sed in Camera hoc non observari tradit *Gail. d. obs. n. 8.*

§. 6. Alter effectus est, quod indicium faciat ad

E 2

tortu-

morturam. Indiciū a. ex ore *Vmmii Disp. 15. §. 7. n. 31.* in
 genere potest definiri, quod sit nota, signum vel argu-
 mentum, ostendens rem ita se habere, prout intenditur.
 Et variè dividitur. Vel enim est commune omnibus de-
 lictis, vel proprium huic vel illi. Utrumque iterum vel
 certum & necessarium, ut si quis per decennium absens
 domum rediens inveniatur anniculum, certo indicio illud
 est, istum non esse suum *l. 6. ff. de his, qui S. vel A. l. nisi*
quis cum Flissingensi illo, de quo Schultz. in Chron. sub
anno 1656. p. 25. qui post aliquot annos ex India Orientali
 reversus istiusmodi inveniatur anniculum habita quæ-
 stione, Unde? & muliere pro legitimatione partus variè
 & lepidè mentiente, quasi per extras in Indiam abrepta
 & cum illo congressa conceperit, productis in speciè veri-
 tatis annulo & numo aureo, anniculum tandè suum credi-
 dit, nisi inquam cum cornuto istiusmodi Aetæonis socio
 dubitationis id alex exponat; Vel verisimile & probabi-
 le, ut lac in mammis contravirginitatem, nominatio
 complicum, de qua *Gæhausen in Append. Peric. Acad. q. 2.*
 Vel incertum & fallax v. g. *αίματόδες* sive cruentatio
 cadaveris occisi, de qua pro & contra *idem Gæhausen in*
Peric. Acad. P. 3. quest. 29. Proba aquæ frigidæ, de qua *idem*
in Append. quest. 1. & quæ sunt plura alia. Nos hic loqui-
 mur de mediū generis indicio, & hoc efficere testem u-
 num, tantò minus dubitandum, quod expressam de co-
 habeamus constitutionem in *P. H. D. Caroli V. art. 23. &*
30. Distinguiamus tamen præcunte ipsa constitutione
 Carolina cum *Magnif. Dni. Tabore 1r. de Tort. anal. art. 23.*
 §. 2. inter ipsum factum, percussione v. g. in cæde pro-
 banda. *wenn einer auff den Entleibten gestochen/ ges-*
schlagen/ gehauen/ ic. art. 34. & indicium ad factum,
wenn einer umb dieselbe Zeit/ da der Mord geschehen/
 ver-

verdächtlicher Weise mit blutigen Kleydern oder
Waffen gesehen worden. art. 33. Et dicimus jam, indici-
um ad factum, si torturam inducere debeat, regulariter
non nisi duobus testibus probari. *Cujus rei ratio est in pro-
patulo, inquit prelaud. Dn. Tabor l. c. §. 4. Affert enim tortu-
ra infert q̄ grave prejudicium, si ve condemnatio si ve absolu-
tio subsequatur. Non debet ergo alterum temere ad unius ho-
minis depositionem vel aliam semiplenam probationem de-
cerni l. 1. §. 23. ff. de Quæst.* Siquidem unius hominis atte-
statione quidem in civilibus plenam probationem indu-
cit l. 9. C. d. Test. Unde etiam expressè id *dd. art. cautum:*
Et usq; adeo verum esse dicit *Cothm. 1. Conf. XI. n. 117. &
seqq.* ut etiam si mille sint testes, quorum tamen quilibet
de singulari indicio deponat, non faciant indicium ad
torturam. Factum verò ipsum per unum testem de facto
ipso, ejusq; auctore per sensum aliquem corporeum im-
mediatè deponentem semiplenè potest probari, & talis
semiplena probatio operatur indicium ad torturam per
expressum textum *d. Const. Carol. verbis: Aber so die
Hauptsache der Missethat mit einem guten Zeugen
bewiese würde/dieselbe als eine halbe Beweisung ma-
chet eine gnugsame Anzeigung, quæ art. 30. repetuntur.*

§. 7. Qualificata autem sit, oportet, inquit
Carpz. in Pract. Crim. P. 3. quæst. 21. n. 14. Ad quod tria re-
quirunt. 1. Ut testis sit omni exceptione major, de quo
§. 1. & 2. memb. preced. (2.) Ut deponat de actu immedia-
tè: Quod fieri dicit, si assertionis suæ rationem per sen-
sum corporeum rei convenientem reddat, quod nempe
ipse delictum ab accusato perpetrari viderit & præsens
intertuerit, de quo *vid. §. 7. Memb. preced.* (3.) Ut verbis
dilucidis & indubitatis deponat, vacillantem enim &
hesitantem nihil probare. *Vide illum à n. 14. ad 20. &*

Cothm. d. l. imprimis n. 124. Wesenb. ff. d. Test. n. 7. Beust. l. c. n. 1145. Menoch. de Arbitr. Iud. quest. 89. n. 56. & seqq. pluresque ab ipsis cit. An verò propter illud ipsum indicium solum statim ad torturam sit procedendum? alia est quæstio. *Cothm. d. l.* & alii simpliciter id negant ex eo, quod leges nostræ de iudiciis mentionem facientes, nunquam loquantur in numero singulari, sed semper pluraliter: quod nos suo relinquimus loco, & pergimus ad plura.

§. 8. Tertius effectus est, quod conjuncta hæc probatio cum aliis semiplenis pro eodem causæ articulo militantibus plenam inducat probationem, siue sit cum illis ejusdem generis, ut duo testes singulares, siue diversi, ut unus testis cum fama l. 5. & 6. C. d. Prob. cap. ult. X. de Success. ab Intest. Vid. *Struv. Ex. 28. §. 5. Hiltrop. Proc. P. 3. tit. 8. cap. de Speciebus Prob. n. 6. Berlich. concl. 36. n. 126. & multis seqq.* Quod & in Camera praticari per causam *Episc. Herbipolensis contra Abbatem Fuldensem den Salke forst und Tabersfeld betreffend* testatur *Mynsing. 2. obs. 100. Cui adde. 5. obs. 33. n. 1.* Atque in hanc rem pronuntiârunt *Cravetta I. Cons. 35. n. 6. H. Vultejus I. Cons. Marp. 16. num. 55.*

MEMBRUM IV. & Ultimum,

De

Affinibus & Contrariis Individualis Probationis,

§. 1. **A**ffinia huic probationi sunt, quæ simili modo semiplenam tantùm judici faciunt fidem, quorum *Hiltrop. Proc. P. 3. tit. 8. n. 5. testi uni 17. adhuc addit:* Quæ autem an singula talia sint, quæ talem effectum edere

edere possint, meritò quis dubitet. Sane præsumptionem vero similē, conjecturam probabilem, tales non esse vel exinde patet, quod conjunctæ cum aliis plenam fidem non faciant, ceu de priori ipse *Hiltrop.* fatetur. E. nec solæ templenam: Sicut nec suspicio, qualis qualis probatio, & hujusmodi commatis plura. Magis & indubitato sequentia inter affinia testis unius numerari merentur.

§. 2. (I.) Scriptura privata l. 5. 6. & 7. C. d. Prob. de qua *Nicolaus de Passeribus latissimum & elegantissimum*, uti de se ipso loquitur *tr. de Verb. Enunc. lib. 2. quest. 44.* conscripsit tractatum. Quo pertinent libri mercatorum, de quibus *idem lib. 4. p. 769. & seqq. Maranta p. 6. Spec. A. de Test. Prod. imprimis n. 37. Gailus 2. obs. 20.* si debitis gaudeant requisitis quæ exhibent nobis *Hahn. ad Wesenb. de Fide Instr. Finckelth. obs. Pr. 79. n. 10.*

§. 3. (II.) Comparatio literarum l. 20. C. d. F. Instr. de qua *Masc. vol. 1. concl. 330.* Illâ enim non plenam judicî posse fieri fidem, facit tum cursus temporis, quo apices scribentium solent variare, tum quod multi reperiantur, qui ita noverint fingere manus, ut altera alteri plane sit similis. Sicuti *Mascardus d. c. n. 3.* se tempore suo vidisse quendam testatur, qui tam facile variorum hominum literas & characteres potuerit referre, ut omnino haberetur eadem scriptura & manus. Nec biennium excurrit, quando hoc ipso loco eandem vidimus ludi fabulam. Interim tamen non omnino ipsi fides deroganda, sed conjuncta cum aliis adminiculis fidem facere censenda. (III.) Confessio extrajudicialis simplex viva voce adversa parte absente facta & probata l. 6. §. 3. ff. de Conf. & DD. *ibidem Mascardus vol. 1. concl. 347. Menoch. d. Pras. lib. 1. quest. 89. n. 15. Perez in Cod. de Confess. n. 17.* Dico
sim.

Simplex, geminata enim vim habet judicialis l. 12. ff. d. Prob. Maran. in Spec. tit. de Conf. n. 15. Eberh. loco 121. A vi geminationis (IV.) Juramentum suppletorium l. 31. ff. de Iurej. de quo supra & DD. hinc inde citati.

§. 4. [V.] Fama rite & sufficienter probata, suisque requisitis subnixal. 3. §. 2. ff. d. Test. Wesenb. ff. de Prob. n. 4. Gailius 2. obs. 94 n. 2. & specialiter de illa Freherus tr. de Fama. Crusius de Ind. Del. p. 1. c. 7. n. 10. Farin. de Test. quest. 47. In antiquis tamen famæ plenam etiam tribuit fidem Mynsing. 6. obs. 26. n. 6. (VI.) Fuga quam angor conscientie ex timore vel à se gestorum ut loquitur Nov. 95. in pref. vel propositorum suavit & expressit arg. l. 54. versu fin autem C. d. Episc. & Cl. & Nov. 53. cap. 4. §. 1. Gailius 2. obs. 109 n. 6. 7. & seqq. Menoch. 1. de Praes. quest. 89 n. 36. & multis seqq. Ubi varias hac de re vide declarationes & explicationes, Mascardus vol. 2. concl. 819. Myns. 6. obs. 98. vel etiam conatus ejus, cum idem operetur fuga in pro-cinctu, quod fuga in actu seu effectu, ut loquuntur DD. Coler. de Proc. Exec. p. 1. c. 2. n. 127. Vide tamen Besold. Thes. Pr. voce Flucht [VII.] Tortura l. 1. pr. ff. d. quest. de qua vid. Magnif. DN. Tabor. tr. de Tortura & Henr. Bocer. tr. de quest. (VIII.) Indicia. l. 1. §. 1. d. Quest. De quibus specialiter Crusius & Farin. 1. Pract. & Theor. Crim. quest. 36. Et si quæ sunt hujusmodi plura.

§. 5. Illud quæstionis est: Testis singularis quo referri mereatur; An itidem ad affinia, an verò ad contraria? Ad contraria videmus referri ubique fere, ad affinia verò nunquam. Sic Farinacius testium singularitati primum intet oppositiones contra dicta testium facit locum quest. 64. n. 1. d. Test. Struv. Ex. 29. §. 49. n. 4. expresse illam inter testium impugnationes enumerat. Meyer in Coll. Arg. d. Test. n. ult. plane nullam inter testem unum

unum & singularem agnoscit affinitatem. Et quid aliud faciunt DD. ad unum fere omnes denegando testi singulari omnem fidem, adeò ut plus unum testem, quam mille singulares probare velint, cum singularitate sua fidem dividant, & testimonia sua invicem lacerent, ut loquitur *Cravetta 1. Const. 41. n. 7.* quam ut omnem similitudinem inter testem unum & singularem tollant. *Farin. d. l. n. 39. Masc. d. Prob. concl. 856. n. 4. Donell. 25. Comm. in l. 15. C. d. Fide Instr. p. 244. Hillig. D. E. cap. 8. lit. 2. Cothm. 1. Conf. 11 n. 120. & qui ab his citantur.* Interim tamen etiam multa apud DD. reperias licet negotia, in quibus istiusmodi testimonium subsistere produnt. Sic famam, vitam, furorem, ætatem, consanguinitatem, filiationem, simulationem, societatem, habitationem, malam fidem &c. quorum *Farinac. l. c. à n. 255. ad 317.* prolixum contexit catalogum, teste probari singulari contendunt, ut adeo secundum hos testis singularis cum teste uno magnam haberet affinitatem. In qua rerum varietate si rem non adeo accuratè tetigerimus, eo magis veniam merebimur, quod magni nominis DD. *Farinacius d. l. & ab ipso citatus Himor.* fateri cogantur, quod hæc de singularitate testium materia *intam summo & vasto versetur pelago, ut nec DD. sibi ipsi constiterint, nec Advocati aut Patroni causarum, quid certi consulant. bene sciverint, nec iudices judicandi rationem facile habuerint.*

§. 6. Tentabimus tamen vadum, & per mediura quasi profundum tanti pelagi cum *Iustiniano §. 2. Proæm. l. ituri* primo loco generalem hanc præmittimus distinctionem inter testem singularem absolutè seu separatim, & respectivè seu singulatim talem, dicentes, illum cum teste uno eundem esse, eundemque in jure edere effectum, quem testis unicus & solitarius, hunc verò pro va-

F

rietate

rietate singularitatis cum teste uno nunc convenire, nunc disconvenire. Quam igitur singularitatis varietatem ut deprehendamus, pergimus & communi nobis prælucente DD. doctrina tanquam stella polari eandem facimus triplicem: *Obstativam*, *Cumulativam seu administrativam*, & *Diversificativam* *Cravetta* *conf.* 267. n. 3. 4. *Farin. quest.* 64. n. 4. 5. & *seqq.* *Gilhaus*, in *Arb. Iud. cap.* 6. p. 2. art. 1. n. 122. *Card. Tusch*, *lit. T. concl.* 264. n. 2. *Struv.* *Ex.* 28. §. 48. Secundum quem & alios *Obstativa* est, quando unus vel alter singularia deponit, cæteris pluribus testibus isti directò contradicentibus, ac inter se consentientibus. Quæ singularitas si in teste deprehendatur, testimonium ejus est nullum, etiamsi mille habeat socios, atq; talis testis potius ad contraria quam affinia referendus. *Cumulativa* est, quando testes quidem deponunt de diversis factis, sed ad idem, quod probandum erat, tendentibus. v. g. Si de probanda possessione agatur, & pro ea producantur testes, quorum unus dicat se vidisse arari, alter seminari, tertius, quartus & quintus messes colligi, domum vehi, arbore putari &c. ut loquitur *Cravetta l. c.* quilibet quidem deponit de actu singulari, sed quoniam ex singulis actibus possessio arguitur, ad eandem probandam bene conjunguntur. Et talis testis ab affinibus non debet removeri. *Diversificativa*, quando testes deponunt de diversis factis vel actibus, vel alio atque alio tempore seu loco. Et hæc si contradictionem non involvat, nec diversitas illa sit contra substantiam negotii, testimonio non obest *per l. 16. C. de Pæn. Berlich. concl.* 36. n. 132, 135. & 138. *Cravetta d. l. n. 4.* atq; per consequens sic rectè inter affinia locum invenit. Si verò hanc involvat, vel diversitas sit contra substantiam negotii, utique obest, & sic merito inter contraria venit numeranda. Sic

Sic si qui dicant factum aliquod non reiteratum propriis, se vidisse perpetrari oculis, diverso tamen tempore vel loco, ita ut alter testetur de die, alter verò de nocte, unus de lentisco, alter de ilice, ut in historia Susannæ, tale testimonium tanquam singulare, & quidem singularitate diversificativa sibi obstante atque contradictionem implicante, & sic falsum rectè rejicitur, uti etiam à Daniele ex hoc capite repudiatum legimus. Sic etiam si qui producantur pro præscriptione probanda, & hi varient in tempore, testimonium ipsorum non admittitur, quod tempus sit de substantia hujus negotii *pr. 1. de Usucap. & l. un. C. de Usuc. transf. Berlich. d. concl. 36. n. 134.*

§. 7. Sed non plane sic trajecimus: Procellæ adhuc quædam tutum sententiæ huic portum invidentes se obvolvunt. Obvertunt nempe dissentientes. Posito per species probari genus, ac genus repræsentari in qualibet specie, non tamen ideo probari genus, nisi ipsæ species singulatim legitimè sint probatæ. *Meyer in Coll. Arg. de Test. §. VI. Berlich. d. l. n. 145.* Has autem non probari per testes singulares, patere exinde, quod quælibet in individuo, unico saltim probetur teste, unum verò testem de jure esse nullum *l. 9. C. d. Test.* tantum abesse, ut aliquid probet, atque hinc etiam in jure canonico testem singularem rejici *cap. 32. x. de Elect. Donellus l. c. & Hilliger. in D. E. ibidem.* Si ergo hujus de hac specie vel hoc actu testimonium sit nullum, & illius de illo actu vel specie etiam nullum, evidens esse, singulares has specierum probationes tanquam insufficientes, imò de jure nullas, non posse ad probandum genus conjungi. Verum enim verò stante hac hypothesis, unum testem omni exceptione majorem, si non de jure communi, minimum tamen moribus semiplenam regulariter inducere probatio-

nem, conjunctum verò cum juramento vel alia semiplena probatione eandem absolvere, uti hanc stare supra evicimus, quid testem singularem singularitate nempe Cumulativa, vel etiam Diversificativa sibi nõ obstante idem præstare posse, cætera si sint paria, dubitaremus? Si enim unius testimonium per juramentum in propria causa in tantum potest suppleri, ut judici plenam faciat fidem, quanto magis præstabit id juramentum alterius, vel etiam plurium in aliena causa. Quod videns *Wissenb.* quamvis in illo cum cæteris consentiat, de jure communi non dari semiplenam probationem, sed esse commentitiam *Disp. ff. 43. §. 31.* in hoc tamen secessum ab illis fecit in tantum, ut stolidum pronunciet judicem, qui probato v. g. adulterio per testes singulares, *quorum primus testetur se vidisse mæchum ingredientem ades mæche, secundus oscula libidinosæ, tertius nudum cum nuda, quartus lectum concutientem,* actorem tamen vel accusatorem non probasse, dijudicet. *Adl. ult. C. d. Prob.* Si autem hoc in Criminalibus, quidni & quanto magis in Civilibus. Imò argumentis vel præsumptionibus singulis plenam tribuit fidem, & exemplo ab *Obrechtio Disp. 1. de Prob. §. 55.* allato id probat v. g. *Occisus est Kalendis Titius. Sempronius perempti inimicus fuit, sed & insidiatus est, cum deprehenderetur Kalendis in loco cadis cruentatus, cum gladio cruento ad mensuram vulneris factò, toto vultu expalluit, interrogatus nihil respondit, trepidè fugit.* Hæc singula quidem argumenta dicit infirmiora esse, universa tamen cædis auctorem Sempronium evidenter designare *l. c. in fine ferè.* Si autem præsumptiones singulæ tanti sunt momenti, ut conjunctæ, etiam in Criminalibus, plenam possint facere fidem, quanto magis id

id tribuendum erit testibus singulis. Hinc etiam Ca^{meram} in dijudicandis de juribus venandi, Decimarum, Collectarum, Jurisdictionis &c. controversiis regulariter hanc sequi sententiam testatur *Gailius 2. obs. 66. n. 10. II. & 12.* Et *Mynsingerus DD.* hoc in negotio repugnantiam à Camera Assessoribus eò esse reconciliatam, ut si quid in genere sit probandum, per testes singulares id possit expediri, non verò si quid in specie. *3. obs. 76.* adeò ut si concordent in fine & substantia negotii, propter varietatem in loci, vel temporis circumstantiis, ne quidem singulares dici mereantur. *3. Obs. 20. & 100.* In qua tamen ultima obs. limitatio illa, *nisi tales probationes conjungenda essent in sua specie imperfecta*, novum videtur injicere scrupulum. Si enim ad conjunctionem talem non nisi perfectæ probationes requiruntur, sequitur, quod testis unus probatio tanquam semiplena & imperfecta non possit conjungi cum alia semiplena probatione v. g. testis alterius. Quamvis enim vel maximè depositiones in loco, tempore vel actibus variantes ad unum subinde finem tendant, singula tamen non nisi per unum testem probantur, & sic saltem semiplenè & imperfectè. Sed bene hic attendenda venit addita illa particula, *in sua specie.* Licet enim semiplenæ istiusmodi probationes in genere & absolutè sint imperfectæ, nō in sua specie sunt imperfectæ, modo debitis suis gaudeant requisitis. v. g. Fama semiplena quidem est, & sic imperfecta in genere probatio, perfecta tamen est in sua specie, si duobus testibus sit probata, si verò saltem uno, imperfecta etiam in sua specie. Hanc E. sententiam, cum in Camera sit recepta, aliisque foris frequentata, æquitati etiam magis conveniat, & publicè intersit, ne probandi facultas coarctetur

vel restringatur *l. 22. ff. d. Test.* magis sequendam putamus, quam alteram Adversantium, quicquid etiam subtilis foveat veritatis.

§. 8. Tandem sequuntur contraria. Quorum primum est testium Reprobatio, quæ duplici via potest institui, vel testium in contrarium productione, ut iisdem Adversarii elidatur intentio, & vocatur à Practicis, *der Gegen-Beweis*/ vel testium ab adversa parte productorum rejectione, *wenn der Zeugen Aussage nicht will angenommen werden.* Quod contingere solet vel ob ipsorum personam, vel testimonia, vel formam & modum audiendi ipsos. Ob personam, si sint inhabiles, de quibus *Membr. 2. §. 3. & 4.* & in specie hoc nostro casu, non sit omni exceptione major, de quo *§. 1. 2. & 6. d. m.* Ob testimonia, si sint obscura, vel diversa; De quorum tamen concordia inducenda, & quid post hanc efficiant. *vid. Gilhaus. in Arb. Iud. cap. 6. P. 2. art. 1. n. 108. & c. & 136. 137.* vel planè sibi invicem contraria, ut in singularitate obstativa. Vel in specie testis noster unus rem vel negotium quæstionis non habeat perspectum sensu aliquo corporeo, visu vel auditu, vel scientiæ rationem reddere nequeat, nec immediatè de facto deponat, &c. de quibus *vid. membr. 2. §. 9. 10. & ult.* Ob formam denique audiendi, si illorum, quæ *§. 8. Membr. 2.* recensuimus, quid desit. Vide de contrariis *Meyer. in Colleg. Arg. d. Test. §. ult. Wesenb. Parat. n. ult. Speculum d. Teste §. 1. Farin. d. Test. tit. 6. quest. 53. & multis seqq.*

§. 9. Secundò, si præsumptio contradictum testis sit in contrarium, quo casu non probat semiplenè. E.g. Si in urbe aliquis consul, iudex, vel alius in dignitate constitutus fecisset articulum in probatione sua, quod fuisset com-

com-


compulsus ab aliquo concive, vel alio, indebitum solve-
re, & probâset hoc per unicum testem, talis probatio
non faceret semiplenam probationem, & ideò juramen-
to suppleri non posset. Quia esset præsumptio contra
producentem, & ideò talis compulsio vel violentia plenè
probanda foret, uti in terminis decisum *l. fin. pr. ff.*

*Quod met. c. & Glossa ibidem verbo. Presum-
ptioni. Tantum!*

FINIS

In EO, cui non est
FINIS,





BELLARIA.

I.

Iuramentum dolo præstitum rectè non servatur. Adeoque Israëlitis contra præstitum iuramentum, de quo *Ios. 9, v 15*, Gibeonitas impunè occidere licuisse non est dubium.

II.

Magis piè connubia illa *Levit. 18*, vetita ad gradus, quam personas solùm nominatas extenduntur, & rectius statuuntur interdicta illa fluere ex jure naturæ, quam merè positivo. Sicuti etiam hic nuper à *Magnif. & Pl. reverendo Theologorum Collegio* responsum memini.

III.

Quamvis de criminibus pœnam sanguinis ingerentibus, præter adulterium ob lenocinii speciem, partibus ratione interesse sui pacisci non sit prohibitum *l. 18. C. d. Transact.* ex eo tamen pessima illa de quovis pecuniâ redimendo homicidio consuetudo, quam nomine *den Todten-Hals lösen* / apud populos quosdam Septentrionales, Moschovitas, Polonos, Danos, Holsatos &c. olim viguisse, & pessimo adhuc hodie exemplo apud Frisios vigere legimus, nul-
lo mo-

ho modo probari meretur. Heig. 2. quest. 24. n. 42.
§ 43. Besold. Th. Pr. vocab. Todt. n. Halslösen.
ibique citatus Dn. Wilh. Anthoni in Coroll. 2.
quem prolixè & eruditè hac de re vide differen-
tem, § Speid. in Notab. vocab. Söhne. Geld.

IV.

Criminibus, eorumque poenis posse præ-
scribi, non dubitare nos permittit. l. 12. C. ad L.
Corn. d. Fals. Et pleraque quidem vicennio ab-
olentur d. l. Quædam verò breviori spatio, quin-
quennio scilicet, ut delicta carnis l. 11. §. 4 l. 29.
§. 6. ff. ad L. I. d. Adult. Quædam nunquam, ut
crim. ina excepta, Apostasia v. g. l. 4. pr. C. d. Apost.
parricidium l. fin. ff. ad L. P. d. Parric. crimen sup-
positi partus l. 19. §. 1 ff. ad L. C. d. Fals. § c. Farin.
1. Th. § Pr. Crim. tit. 1. quest. 10. n. 29. Carp. in
Pr. crim. P. 3 quest. 141. n. 8. § seqq. Quibus præ-
cæteris Sodomia tanquam crimen maximè ex-
ceptum annumerari meretur, licet sit delictum
carnis, § omnibus admittis ex L. Julia venienti-
bus quinquennium sit præstitutum. d. §. 6.

V.

Non datur alia veritas Theologica, alia
juridica, alia philosophica, sed una & simplex est
veritas, polypinaturam induere nescia Grave-
mustract. d. Una § Simpl. Verit.

G

VI. Cùm

VI.

Cum mors nihil aliud sit, quam dissolutio corporis & animæ, triplex verò in homine detur anima, necessario homo una vice tripliciter moritur.

VII.

Virtus moralis consistit in medio, *Aristot.*
2. Eth. 2. § 6.

VIII.

Rectè Aristoteles *lib. 4. Ethic. c. 7.* omnium externorum bonorum optimum & maximum dicit esse honorem, tum quod ipse Deus honore & cultu delectetur, tum quod à dignitate eminentibus maximè expetatur, tum quod ob res præclarissimas honor tanquam præmium dari consueverit.




(X2617988)

VD17







S. 1672 11 15

OLENNIS,
INO,

S GRATIA,
ETO
NOBILISSIMI,
M ORDINIS,

TORALI
rocerum Academiae
ni

ARDUS Becker/
ph.

M.DC.LXXII.
litis.



Æ,
ci Karger.